



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Das Papsttum und Portugal im ersten Jahrhundert der portugiesischen Geschichte**

**Erdmann, Carl**

**Berlin, 1928**

Anhang.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69005](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69005)

urteilen zu können, müßte man erst das ganze spanische, insbesondere kastilianische und leonesische Material an Papsturkunden übersehen. Überhaupt konnte die vorliegende Abhandlung, wie hier nochmals betont werden soll, keine erschöpfende und endgültige Darstellung geben, und vieles mußte hypothetisch bleiben. Einiges wird sich ergänzen lassen, wenn die Beziehungen des Papsttums zu den spanischen Kernlanden bearbeitet sind; noch mehr aber wäre notwendig, die innerportugiesische Geschichte selbst weiter aufzuklären an der Hand vor allem der Königsurkunden, deren Sammlung und Herausgabe das dringendste Erfordernis auch der portugiesischen Geschichtsforschung ist.

## Anhang.

### I.

Die Bischöfe *D(iego)* von Compostela, *A(lfons)* von Tuy, *M(unio)* von Mondoñedo, *P(edro)* von Lugo, *D(iego)* von Orense und *Hu(go)* von Porto teilen dem Bischof *G(onzalo)* von Coimbra die Beschlüsse der Synode von Compostela mit und fordern ihn auf, der geschlossenen Bruderschaft beizutreten und seine Differenzen mit Santiago und Porto zu bereinigen.

(1114) November 17.

*Livro Preto saec. XII ex. fol. 242 Lissabon, Torre do Tombo.*

Die Akten der Synode finden sich in der *Historia Compostellana lib. 1 c. 101 (Esp. Sagr. XX 191).*

D. Compostellane sedis, A. Tudensis, M. Mindoniensis, P. Lucensis, D. Auriensis, Hu. Portugalensis confratres et coepiscopi. Venerabili G. Colimbriensi episcopo in Christo salutem. Ex precepto domni B. Toletane sedis archiepiscopi et sancte Romane ecclesie legati XV. kal. decembris Compostelle convenimus et eum abbatibus monasteriorum Gallicie ceterisque religiosis prelatibus concilium celebravimus Domino annuente. In quo siquidem concilio comites et ceteros terre obtimates, qui ad concilium Legionense ire non potuerunt, commonefecimus, ut decreta, que in eodem concilio sancita fuerant, inviolabili observatione custodirent. (Folgen die 10 Kanones der Synode nebst Korroboration.)

Confraternitatem etiam inter nos fecimus, ut alius alium diligat et alius alii, si necesse fuerit, pro posse suo subveniat et mutuam caritatem adinvicem habeamus. Quando aliquis nostrum obierit, eius anime unanimiter alii subeurrant elemosinis, oracionibus, sacrificiis, quatinus ad eternam beatitudinem pervenire possit. Ad hanc autem confraternitatem confirmandam statuimus, ut unoquoque anno mediante quadragesima Compostelle conveniamus et corrigamus malefacta, que ad audienciam nostram venerint. Vestram itaque rogamus sanctitatem, ut in hac confraternitate nobiscum intrare velitis et nobiscum fraterna dilectione familiariter coniungi, quia nos libenter vestre dignitatis honorificenciam suscipiemus. Sed prius oportet vos corrigere iniuriam, quam erga domnum Compostellanum habere vel commisisse videmini, quia vota sancti Iacobi et quasdam ecclesias, que in episcopatu vestro sunt, vicario suo vos abstulisse conqueritur. Quod factum in oculis nostris mirabile videtur, cum<sup>a</sup> domnus papa vota sancti Iacobi et eius hereditates ita firme auctoritatis sue privilegio Compostellane ecclesie confirmavit, quod nulli unquam ecclesiastice secularive persone licitum sit ea sine proprio periculo invadere aut inquietare. Si ergo nostram confraternitatem et dileccionem non spreveritis, ecclesie Compostellane

<sup>a</sup> eum.

sua vota et hereditates in manu episcopi Portugalensis eius procul dubio vicarii absque contradicione restituētis. Ipsum quoque Portugalensem si vobiscum dilectionis vinculo astringeretis et concordiam super parte suae dioceseos, quam tenetis, cum eo faceretis, ut ambo in id ipsum ad omnia essetis, multum nobis scitote placeret et domno archiepiscopo Toletano, qui nobiscum illud idem conlaudat. Valet.

## II.

Die Bischöfe Gonzalo von Coimbra und Hugo von Porto schließen miteinander den Vertrag, daß der Douro als Grenze zwischen den beiden Bistümern gelten solle mit Ausnahme derjenigen Gebiete südlich des Douro, die Gonzalo freiwillig abtreten würde.

Figueiredo (Pinheiro da Bemposta) 1114 Dezember 30.

Livro Preto saec. XII ex. fol. 240' Lissabon, Torre do Tombo [B]. — Livro Censual saec. XIV fol. 2 Porto, Biblioteca Municipal, daraus ed. Censual do Cabido da Sé do Porto (Porto 1924) S. 7 [C].

Der bereits bekannte Text des Livro Censual weicht von dem des Livro Preto gerade in den Hauptpunkten sehr stark ab. Ich gebe deshalb hier den letzteren wieder, an dessen Ursprünglichkeit ich nicht zweifelte. Aus dem Zusammentreffen des Wochentags und der Festbezeichnung ergibt sich das Jahr 1114, das auch sachlich allein möglich ist. Offenbar begann man in diesem Falle das neue Ärenjahr schon mit dem Weihnachtstage. Die Rechnung von J. P. RIBEIRO, Dissert. Chronol. V<sup>2</sup> 7 (danach J. A. FERREIRA, Memorias archeologico-historicas da Cidade do Porto S. 156) ist irrig.

Noverint homines tam presentes quam futuri<sup>a</sup> amicitiam factam<sup>b</sup> inter domnum Hugonem<sup>c</sup> Portugalensem episcopum et domnum Gundisalvum Colimbriensem episcopum hoc modo: Promisit enim alter alteri, quod essent adinvicem amici fideles in veritate absque dolo et malo ingenio, salvo suo ordine et salva<sup>d</sup> Romana auctoritate. Promisit etiam G. episcopus Colimbriensis<sup>e</sup> Hugoni Portugalensi episcopo, quod honorem sui episcopatus, quem<sup>f</sup> trans Dorium habet aut habere debet, non requirat et<sup>f</sup> iuvet eum sicut amicus amicum per se et per suos amicos<sup>g</sup> ad predictum honorem defendendum<sup>h</sup> ipsi<sup>i</sup>. Hu. vero Portugalensis episcopus taliter promisit<sup>k</sup> G. episcopo Colimbriensi<sup>l</sup>, ut honorem<sup>m</sup> suum, quem habet citra Dorium, nullo modo requirat, nisi quantum dederit ei ex amicitia, salvo iure Compostelanensis ecclesie sancti Iacobi, et<sup>m</sup> si quis eum in honore suo<sup>n</sup> inquietare voluerit, iuvet<sup>o</sup> eum per se et per amicos sicut amicus amicum<sup>o</sup>. Et hanc<sup>p</sup> amicitiam<sup>q</sup> firmanerunt inter se ita, quod<sup>r</sup> si quis eam infregerit<sup>s</sup>, prout superius determinatum est, alter alterum conveniat. Et si non potuerit se rationabiliter excusare vel neglexerit emendare, habeatur quasi periurus<sup>t</sup> et infamis<sup>t</sup>, et alius<sup>u</sup> absolutus et<sup>v</sup> liber erit<sup>v</sup> ab hac<sup>w</sup> fidelitate<sup>w</sup>. In omnibus tamen supradictis<sup>x</sup> salva amicitia domni<sup>y</sup> Bernaldi Toletani archiepiscopi et<sup>y</sup>

<sup>a</sup> tam futuri quam presentes C. <sup>b</sup> quam fecerunt C. <sup>c</sup> Huguonem C. <sup>d</sup> salva fehlt C. <sup>e</sup> Colimbriensis episcopus domno C. <sup>f-f</sup> que ad ecclesiam Portugalensem citra Dorium vel ultra Dorium pertinet, quemquem ipse Portugalensis episcopus pontificale iure possidet aut possidere debet, non inquietet nec retineat nec usurpet absque voluntate sua, sed C. <sup>g</sup> amicos suos C. <sup>h</sup> folgt et aquirendum seu adipisendum C. <sup>i</sup> folgt Portugalensi episcopo, et quando Romam ire decreverit, adiuvet eum de facultantibus suis C. <sup>k</sup> promisis C. <sup>l</sup> Colimbriensi episcopo C. <sup>m-m</sup> honorem episcopatus sui, qui ad ecclesiam Colimbriensem iure veteri pertinet, quem ipse Colimbriensis episcopus possidet aut possidere debet, non inquietet nec retineat nec usurpet, sed iuvet eum ad predictum honorem retinendum et defendendum sicut amicus amicum C. <sup>n</sup> ipso C. <sup>o-o</sup> fehlt C. <sup>p</sup> Hanc autem C. <sup>q</sup> folgt in fidei veritate C. <sup>r</sup> quatenus C. <sup>s-s</sup> infringere vel violaret sive disrumpere, esset periurus C. <sup>t</sup> folgt et ab ordine pontificale sequestratus, donec ei satisficeret, cuius amicitiam violavit C. <sup>u</sup> folgt esset C. <sup>v-v</sup> fehlt C. <sup>w</sup> huius amicitiae et fidei iuramento C. <sup>x</sup> folgt salvo honore et reverentia Conpostellanae ecclesiae et C. <sup>y-y</sup> fehlt C.

domni Didaci Compostelani<sup>a</sup> episcopi. Hi sunt testes<sup>b</sup>: Laurentius<sup>c</sup> testis. Daniel<sup>d</sup> testis. Pelagius<sup>e</sup> testis. Gundisalvus<sup>f</sup> testis. David<sup>g</sup> testis. Erfredus<sup>h</sup> magister testis. Laurentius magister testis<sup>i</sup>. Martinus monachus<sup>j</sup> testis. Abba<sup>k</sup> Fulco testis. Fagildus monachus<sup>l</sup> testis. Gutier Menendiz<sup>m</sup> testis. Vilielmus<sup>n</sup> monachus<sup>o</sup> testis<sup>p</sup>. Hec<sup>q</sup> carta facta est feria III<sup>a</sup><sup>r</sup> in festivitate sancti Iacobi post natale Domini apud Fikeiredo<sup>t</sup> T<sup>a</sup> C<sup>a</sup> L<sup>a</sup> III<sup>a</sup><sup>u</sup>.

### III.

B(ernard), Erzbischof von Toledo und Legat des römischen Stuhls, befiehlt dem Abt G(audemirus) von S. Thirso, die Bevölkerung des Gebiets von der Vizella bis zur Antuã unter Androhung des Interdikts zum Gehorsam gegenüber dem Bischof Hugo von Porto zu ermahnen.

1115 (Anfang).

Rotulus saec. XIII Braga, Arquivo Distrital (Gav. dos arcebispos n. 26).

Gegen die Urkunde ist, wenn man sie in den Anfang des Jahres 1115 (Ära 1153) setzt — im Frühjahr oder Sommer 1115 brach Hugo nach Rom auf —, sachlich nichts einzuwenden. Die beiden erwähnten Synoden müssen die von Palencia (1113 Oktober 25) und Leon (1114 Oktober 18) sein. Die Überlieferung ist aber nicht ganz sicher. Denn auf dem Rotulus, der einem Prozeß zwischen Braga und Porto im Jahre 1250 entstammt, folgt auf diese Urkunde eine andere, ebenfalls S. Thirso betreffende vom 6. Oktober 1101, die durch eine unmögliche Zeugenliste sehr verdächtig ist.

B. Toletane sedis archiepiscopus et sancte Romane ecclesie legatus. Karissimo filio suo G. abbati in sancti Tirsi monasterio in Christo salutem. Quod ad concilium in preterito anno neque modo venire non potuistis, graviter tulimus. Sed dominus Hugo Portugalensis episcopus vos sine culpa esse nobis asseruit, qui vos in sua vice ad disponenda ecclesie sue officia se dimisisse testatus est. Mandamus itaque vobis et per obedientiam precipimus, ut ex nostra parte ammonetis omnes abbates monasteriorum seu priores necnon etiam omnes clericos et laicos viros et mulieres seculares et Deo votas<sup>v</sup> infra antiquos terminos Portugalensis diocesis commorantes, a Avicella scilicet in Antenonam, quatenus veniant ad sinodum Portugalensis episcopi, quando ipse instituerit, et exhibeant ei debitam subieccionem et obedientiam et eum<sup>w</sup> in pace proprium episcopum suum suscipiant et nullum alium episcopum super se recipiant. Qui vero ei infra terminos supradictos<sup>x</sup> obedierint, omnipotentis Dei et beate Marie virginis gratiam consequantur. Illis autem, qui intra terminos antiquos Portugalensis episcopatus constituti debitam subieccionem et obedientiam ei negaverint, apostolica auctoritate divinum officium interdicimus et eorum ecclesiis, ita ut porte ecclesiarum non aperiantur, signa non pulsantur, corpora non sepe-liantur nec aliquid divinum officium fiat preter absolucionem et bapstisterium. Valete<sup>y</sup>. Scripta sunt hec in Era T<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LIII.

<sup>a</sup> eiusdem ecclesiae C. <sup>b</sup> Reihenfolge der Zeugen abweichend, und das Wort testis fehlt überall C. <sup>c</sup> folgt archidiaconus C. <sup>d</sup> folgt canonicus Colienbriensis C. <sup>e</sup> Palagius clericus C. <sup>f</sup> folgt clericus C. <sup>g</sup> Daniel archidiaconus C. <sup>h-h</sup> hanc cartam dictaverunt magister Laurentius et magister Espedus C. <sup>i</sup> folgt et prior C. <sup>k</sup> Abbas C. <sup>l</sup> folgt et prior C. <sup>m</sup> Guiterrus Menendis C. <sup>n</sup> Guillelmus C. <sup>o</sup> vndorinus C. <sup>p</sup> folgt Escripsit Daniel Colinbriensis canonicus C. <sup>q</sup> Datierung vor den Zeugenunterschriften C. <sup>r</sup> Pfacta est autem haec carta C. <sup>s</sup> feria III<sup>a</sup> hinter Iacobi C. <sup>t</sup> apud Fikeiredo fehlt, statt dessen Era C. <sup>u</sup> Millesima C. L. VI<sup>a</sup> C. <sup>v</sup> nate. <sup>w</sup> cum. <sup>x</sup> folgt nochmals ei. <sup>y</sup> folgt ä.

## IV.

*Bischof Johann von Coimbra beschwert sich über den Erzbischof Johann von Braga.*

(1154—1155)

*Kopie (Konzept?) saec. XII Lissabon, Torre do Tombo (Col. Esp. Pt. II Cx. 24). — Daraus Livro Preto saec. XII ex. fol. 247 ebenda. — Ed. RIBEIRO DE VASCONCELLOS in Mem. Acad. R. Scienc. Lisb., N. S., Cl. de sc. mor. I p. I 62 n. 14 (V) aus dem Livro Preto.*

*Formal ist das Stück kein Brief, sondern eine unadressierte Aufzeichnung. Seinem Inhalte nach kann es aber schwerlich für einen ändern als den Papst bestimmt gewesen sein. Auch wissen wir aus dem Breve Hadrians IV. vom 10. Juni 1155 an den Erzbischof von Toledo, das Herr Geheimrat KEHR in den »Papsturkunden in Spanien« aus dem Toledaner Archiv veröffentlichen wird, daß sich der Bischof von Coimbra tatsächlich an der Kurie beschwert hat. Aus dem genannten Breve folgt auch der zeitliche Ansatz.*

Iohannes Bracarensis archiepiscopus, quem ecclesia Colimbriensis, cum nihil esset, in filium adoptavit, quem ego Iohannes<sup>a</sup> Colimbriensis episcopus tempore mei prioratus canonicum constitui et melioribus<sup>b</sup> prefeci, ex quo archiepiscopatum concedens monachalem habitum, quo diu sub abbate Iohanne Cirita usus fuerat, dep[osuit], ex quo carni-um esum, a quibus se perpetuo abstinere voverat, frequentare cepit, velut obstinatus privignus<sup>c</sup> primitivam matrem suam sedem Colimb(riensem) diminuere, persequi et omnibus modis opprimere non cessavit. Inprimis itaque tempore Bernardi episcopi predecessoris nostri, cum de cellario ipsius pontificis una statione centum modios consump-sisset, arreptus furore iniquitatis sue altare sancti Iohannis funditus deiecit, cruces fregit, corpus Domini ad viaticum infirmorum propriis pedibus conculcavit et in pulverem com-minuit. In ecclesia sancte Crucis in suburbio Colimbrie contra preceptum et privilegium domini pape Innocencii et absque consensu episcopi non solum regulares, sed etiam secula-res ordinavit. In tempore vero nostro absque nostro consensu magn[um]<sup>d</sup> altare sancte Crucis consecrare presumpsit, archidiaconum meum de Calambria cum omni substantia sua me nesciente abduxit<sup>e</sup>, filiam Pelagii<sup>f</sup> a viro suo absque ratione et nostro consensu separavit et<sup>g</sup> alteri viro copulari permisit, excommunicatos nostros contra voluntatem nostram absolvit, scilicet quendam de Penala, qui clericum manu amputata castraverat et proprie uxori nares absciderat, quem cum causa penitentiae Romanum pontificem adire precepissem, obvius ei archiepiscopus accepta quam secum deferebat expensa domum redire precepit et alteram ducere uxorem me nolente concessit. Gundisalvum Petri, quem excommunicationis vinculo innodaveram, quoniam<sup>h</sup> heremitalem vitam, in qua per tres annos vel eo amplius sub regula Claresvallensi conversatus fuerat, turpiter ad se-cularia rediens reliquerat, me inconsulto absolvit et divinum officium in secularibus, in quo etiam usque in hanc diem perseverat, celebrare concessit. Me ipsum, cum semel Colimbriam visitasset et clericis ipsius ville de iniuriis suis conquerentibus a rege illatis satisfacere falso promisisset, convocato parve auctoritatis clericorum conventu me absente<sup>i</sup> absque ratione et non advocatum ab episcopali officio suspendit. Sedem nostram non advocatus absque omni necessitate causa depressionis nostre in anno quinquies aut se-pius visitare et tocies per octo vel per XV dies magno comitatus agmine advocatorum, tam monachorum quam canonicorum ceterorumque, quos causa difficultatis convocare po-tuerit<sup>k</sup>, cellaria nostra consumendo in domo nostra stare, omnia episcopalia tractare,

<sup>a</sup> am Wortende Rasur. <sup>b</sup> folgt se. <sup>c</sup> auf Rasur. <sup>d</sup> magn mit folgender Rasur. <sup>e</sup> folgt Rasur von etwa 16 Silben. <sup>f</sup> folgt Rasur von etwa drei Silben. <sup>g</sup> folgt Rasur von etwa sechs Silben. <sup>h</sup> quem. <sup>i</sup> folgt Rasur von etwa elf Silben. <sup>k</sup> poterit.

priorem manu sua sedi nostre preponere, minari, omnia ante discessum suum turbare et sic seminata discordia omnibusque consumptis absque voluntate nostra a civitate deridendo recedere consuevit.

V.

Akten des (vom Kardinallegat Jacintus in Gegenwart des Königs Alfons VII. von Kastilien abgehaltenen) Konzils (von Valladolid).

(1155 Januar)

Kopie saec. XII Tuy, Archivo de la Catedral.

Der Anfang der überhaupt schlecht erhaltenen Urkunde ist abgeschritten, daher fehlen die Namen des Kardinals und des Königs sowie die Angabe von Zeit und Ort. Daß es sich um das Konzil von Valladolid handelt, ergibt sich nur aus den Initialen der Bischofsnamen. Die Kanones haben vielfache Anklänge an die des zweiten Laterankonzils, sind aber doch durchweg neu formuliert. Sie wurden (außer Kanon 31) mit wenigen Abänderungen auf dem Konzil von Lerida am 1. Mai 1155 (vgl. F. VALLS-TABERNER in Papsttum und Kaisertum, Festschrift für P. KEHR, S. 364 ff.) wiederholt, größtenteils auch auf dem des Jahres 1173 (s. P. SAINZ DE BARANDA, Esp. Sagr. XLVIII 301); danach ließen sich die Lücken ergänzen. Die von mir hinzugefügte Zählung der Kanones folgt der Interpunktion der Vorlage.

[.....] regis [.....]

[.....] una archiepiscopis I. Toletano, P. Compostellano et venerabilibus episcopis R. Palentino, I. Legionensi, M. Ovetensi, L. Pampilonensi, R. Calagorritano, I. Oximensi, P. Seguntino, V. Segobiensi, E. Evilensi, N. Salamantino, S. Zamorensi, P. Asturicensi, I. Lucensi, M. Auriensi, M. Lamezensi, O. Visensi, I. Colimbriensi, P. Portugalensi, B. Almariensi necnon et reverendis abbatibus B. Crassensi, I. Pinnatensi, I. Oniensi et P. sancti Augustini et D. sancti Facundi et aliis quam plurimis tam abbatibus quam ceteris viris religiosis. In ea itaque invocata sancti Spiritus gratia plurima sanctorum patrum instituta innovarunt adiungentes quedam valde necessaria.

(1) Cognitis itaque Christianorum multis et magnis [per S]arracenos oppressionibus factis illis subvenire et gentis adverse spurcitiam et infestationem de medio tollere paterno affectu desiderantes de meritis apostolorum Petri et Pauli con[fi]si tam clericis quam laicis in remissionem peccatorum suorum iniungimus, ut secundum vires et facultates divinitus concessas ad christianitatem defendendam<sup>b</sup> et Sarracenorum malitiam reprimendam omnimode nit[antur], eandem veniam indulgentes illis, quam papa Urbanus indulsit projectis Iherosolimam ad liberationem orientalis ecclesie. Illi enim qui tam sanctum iter devote inceperit atque perfecit seu ibidem mortu[us fuer]it, de omnibus peccatis suis, quibus corde contrito et humiliato confessionem susceperit, absolutionem auctoritate nobis a Deo concessa concedimus et tam ipsum quam res suas et homines in protectionem [beati] Petri et nostri suscipimus ab itinere incepto usque ad reditum. Unde si quis interim ipsum vel bona sua perturbare aliquibus molestiis fatigare presumpserit, anatema sit.

<sup>b</sup> defenden.

(2) Inherentes [quoque] vestigiis Leonis, Nicolai, Calixti atque Innocentii summorum pontificum statuentium, ut lex continentie et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur<sup>a</sup>, decernimus<sup>b</sup>, quatinus presbyteri, diaconi, subdiaconi atque conversi et professi<sup>c</sup>, qui sacrum transgredientes propositum uxores sibi copulare presumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem, quoniam contra ecclesiasticam regulam sacrarumque legum constitutionem constet esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam abinvicem separati pro tantis excessibus condignam penitentiam agant. Id ipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si, quod absit, nubere temptaverint, observari statuimus. Nihilominus innovantes, ut clericus cuiuscumque ordinis publice<sup>d</sup> concubiniarius, nisi a suo episcopo aliove prelato suo admonitus infra dies XL se correxerit et condignam penitentiam egerit, officio et beneficio suo privetur. Nullus quoque missam vel evangelium presbyteri sive diaconi audiat, quem concubinam suam vel subintroducendam mulierem scit indubitanter habere.

(3) Proinde ecclesiarum prelati et ceteris clericis proibemus extraneorum mulierum et presertim Sarracenarum omniumque feminarum consortium in propria domo citra matrem aut sororem aut eas forte personas, que omnem effugiunt suspicionem.

(4) Presbyterorum et diaconorum filii ad ordinem clericatus non promoveantur, promoti officio<sup>e</sup> et beneficio priventur, nisi ad regularem habitum se transtulerint aut se caste victuros iuramento firmaverint aut de eorum honestate dubitatum non fuerit.

(5) Nati quoque de non legitimo matrimonio vel incestu ad clericatus officium non promoveantur.

(6) Nullus episcoporum servum alterius ad clericatus officium promoveat, nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eo vendicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis divine militie adgregandus.

(7) Si quis ordines vel ecclesias aut ecclesiastica beneficia, que quidem<sup>f</sup> prebendas vel archidiaconatus, preposituras et huiusmodi vocant, simoniace vel per manum laicam adeptus fuerit, rem et<sup>g</sup> pretium perdat, et si clericus fuerit, perpetuo condempnetur, si laicus, perhenni anathemate feriatur et interventor nota infamie percutiatur et insuper acceptor pretium ecclesie in duplum restituat, et omnem cautionem pro hoc quolibet modo ex[posit]am et pignorum et fideiussorum dationem, [prout sacrorum] principum [manda]vit auctoritas, vacare censemus.

(8) Innovamus autem, ut quicumque a subdiaconatu et infra in arcediaconum, [dec]anum, priorem, abbatem, archipresbyterum promotus fuerit et secundum hoc, quod dignitas exegerit, infra annum ordinari contempserit, honore percepto privetur. Adicientes<sup>h</sup>, ut nullus in eadem [ecclesia] duos honores sortiatur, quia sicut in uno corpore diversa membra sunt nec eundem actum habent, sic in una eademque ecclesia, cum diversa sint officia, unum tantum ab uno administretur officium.

(9) Pro[hibe]mus etiam, ut nullus presbyter sive diaconus seu clericus vestibis varii coloris utatur, sed et clausis, et presbyter et diaconus maiorum sedium et ecclesiarum persone, nisi peregrinationis vel expeditionis necessitate urgente, nec comam capillarum nutriat, barbam radat, onestam tonsuram atque coronam faciat, ut tam in habitu corporis quam in statu mentis [a] laicis differat et Deo et hominibus placeat.

(10) Episcopus autem aliusve prelatus, qui super eos magisterium habere dignoscitur, predictos excessus sciens et corrigere negligens ordinis sui periculum incurrat, laicus vero eos in illis criminibus defendere presumens anathema sit.

<sup>a</sup> fehlt. <sup>b</sup> discernimus. <sup>c</sup> professi. <sup>d</sup> publice. <sup>e</sup> ab officio. <sup>f</sup> quod. <sup>g</sup> fehlt. <sup>h</sup> adnuentes.

(11) Statuimus quoque, ut nullus episcopus ordinationes faciat nisi in IIII anni temporibus distinctis nec alterius episcopi clericos ordinare aut ordinatos suscipere presumat vel basilicas seu altaria consecrare vel eius parrochianos excommunicare aut excommunicatis communicare vel eius interdictum aut excommunicationem absolvere sine eius assensu et conscientia presumat, sed nec archiepiscopus sui suffraganei, nisi forte ab eo admonitus ipse episcopus iconomos, archidiaconos et ecclesiasticos alios or[d]ines in ecclesia sua ordinare contempserit, sicut septime Romane sinodi testatur auctoritas.

(12) Sacri Calcedonensis concilii statuta sequentes confirmamus, ut decedentium bona episcoporum seu ce[ter]orum ecclesie prelatorum a nullo omnino hominum diripiantur, sed ad opus ecclesie et successorum suorum in potestate clericorum integra conserventur. Si quis autem hoc infregerit, anatema sit.

(13) Laicos ecclesias aliquomodo [ten]ere vel aliquid in eis iure hereditario vindicare apostolica auctoritate proibemus, et tamdiu in illis divina officia celebrari interdiciamus, donec eas in libera dispositione proprii episcopi dimittant; idem et statuentes de omnibus ecclesiasticis beneficiis. Si quis autem ecclesie prelatus laicis ecclesias conferre presumpserit vel<sup>a</sup> ecclesiastica beneficia, honore suo privetur.

(14) Decimas item a laicis possideri apostolica auctoritate sub perpetuo anateme proibemus. Sive enim ab episcopis vel regibus vel quibuslibet personis laicis eas acceperint, nisi proprio episcopo vel diocesane ecclesie reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere<sup>b</sup> et eterne dampnationis periculum incurrere. Oportet autem decimas et primitias, quas sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere, quas fideles Domino precipiente offerunt iuxta illud Ma[th]ie prophete: Inferte omnem decimationem in orreum meum, ut sit cibus in domo mea. Nec minus laici quamvis religiosi in ecclesias personas introducere vel removere nisi per manum episcopi presumant.

(15) Sancimus item, ut quicumque vir sive mulier habitum religionis susceperit, ulterius dimittendi et ad seculum redeundi licentiam non habeat. Si autem contra hoc institutum postea crediderit coniugia esse copulanda<sup>c</sup> aliove modo seculariter vivere presumpserit, tamdiu excommunicationi subiaceant ipsi sui que defensores, quousque ad propositum redeant.

(16) Si quis monachus canonicusve regularis compater vel sanctimonialis commater efficiatur, anatema sit.

(17) Illi qui super Christianis et in civitate sive vico vel quolibet loco arma tulerit et ibi ostentatione virium et congr[ue]ssuum temeritate mortuus fuerit, ecclesiastica non perm[itt]atur sepultura, licet ei petenti in articulo mortis viaticum et penitentia non negentur.

(18) Precipimus etiam auctoritate apostolica, ut<sup>d</sup> presbiteri et clerici, monaci, regulares omnes et religiosi, peregrini, mercatores, rustici ad agriculturam euntes et in ea persistentes neonon et animalia omniaque suppellectilia agriculture necessaria omni tempore securitatem habeant. Quam si quis infregerit, donec satisfaciat, anatema sit.

(19) Coniunctiones sane consanguineorum usque ad VII. lineam omnino fieri proibemus. Inter eos autem contracta matrimonia dirimantur et ipsi pro incestu condignam agant penitentiam. Quam si contempserint, excommunicentur.

(20) Nemo filium vel filiam, quam ex sacro fonte susceperit vel ad confirmationem ante episcopum tenuerit, sibi vel filio sive filie sue matrimonio copulare presumat, et si talis inter eos facta copula fuerit, dissolvatur<sup>e</sup>.

(21) Heresiarcas et ab eis ordinatos apostolica auctoritate deponimus.

<sup>a</sup> fehlt.    <sup>b</sup> incurrere.    <sup>c</sup> conopulanda.    <sup>d</sup> et.    <sup>e</sup> absolvatur.

(22) Nullus clericus, nisi qui hereditatem habuerit, extraordinaria munera facere vel in expeditionem ire vel aliquid pro ea solvere cogatur. Contra quod si quis venire temptaverit, anatema sit.

(23) Sancimus preterea, ut dispositiones et testamenta decedentium inviolabiliter conserventur, ut sive mobile sive immobile quis in testamento reliqu[er]it, illius sit absque contradictione, nisi fuerit illegitim[us, cui f]uerat adiudicatum. Quod si quis violaverit, anatema sit.

(24) Hoc autem nullatenus pretermittendum duximus, quod quicumque in clericum vel in quamlibet [person]am ecclesiasticam sive religiosam violentas manus iniecerit vel ceperit vel capi fecerit vel captum tenuerit, nisi gravis egritudinis vel mortis necessitas ingruat, nullus episcopus eum absolvat, donec Romano pontifici se presentetur [a]ut eius mandatum suscipiat. Quod et faciat timore mortis [absolutus, si convaluerit.]

(25) Si quis [ecclesiam vel cimiterium ecclesie violaverit, anatema sit.

(26) Si quis ab episcopo vel archiepiscopo suo pro manifesta culpa] excommunicatus fuerit et ipse propter hoc ipsum et homines suos seu bona sua violare, rapere seu alio quolibet modo alienare et molestare presumpserit, usquequo digne satisfaciatur vel plenam de satisfactione securitatem prebeat, anatema sit, et licet mortis articulo urgente penitentiam et viaticum accipiat, ecclesiastica careat sepultura.

(27) Excommunicatis nullus communicare presumat. Secundum sanctiones enim sanctorum canonum excommunicatus est, qui excommunicato scienter participat.

(28) Horrendam quidem incendii malitiam et Dei populo dampnosam et non solum corporibus, sed animabus pernici[ci]osam auctoritate apostolorum interdicimus. Si quis episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat et per annum ab officio pontificali se absteineat. Sane regibus et principibus faciente iustitie consultis archiepiscopis [. . .] episcopis facultatem non negamus.

(29) Nullus abbas sive monachus capellanum in ecclesiam mittat sive ab ea removeat, nisi per manum episcopi vel archidiaconi sui, a quo curam animarum suscipiat, cui et de ordinibus et criminalibus [re]spondeat.

(30) Nulla quoque ecclesiastica persona secularisve ecclesiam construere sine assensu<sup>a</sup> episcopi vel archidiaconi presumat.

(31) In illis<sup>b</sup> quippe locis, quibus tempore A. Hispaniarum regis bone recordationis portaticum accipiebatur, et non in aliis deinceps accipiat, nec etiam plus eo, quod tunc sumebatur. Contra quod si quis fecerit, anatema sit.

(32) Ab initio quoque [quadagesime] usque ad octavas pasce et ab initio adventus Domini usque ad octavas ephiphanie tregam inter Christianos observari et nulla inter eos prelia fieri omnino precipimus. Quod si quis fregerit, excommunicetur.

## VI.

*Zeugenverhör über die auf dem Konzil von Valladolid (1155 Januar) vom Kardinallegaten Jacintus gegen den Erzbischof Johannes von Braga gefällte Suspensionssentenz.*

(Tuy 1182) November 4.

*Rotulus saec. XII ex. Braga, Archivo Distrital (Gav. dos arcebispos n. 4).*

*Die Zeugen wurden vom Erzbischof von Compostela beigebracht, um zu beweisen, daß infolge der Sentenz des Jacintus das Erzbistum Braga nicht mehr im Besitz der Suffraganbistümer Coimbra, Viseu und Lamego geblieben sei. Vgl. Papsturk. in Port. S. 280 n. 91 Abs. 15.*

<sup>a</sup> assensu.    <sup>b</sup> Nullis.

Hee sunt atestationes testium, quos introduxit dominus Compostellanus adversus Bracharensem prima V. feria post festum Omnium sanctorum super interruptione trium episcopatum, Colimbriensis, Visensis et Lamecensis, et super sententia, quam dixit latam a domino Iacinto cardinali et legato in concilio apud Vallem Olti.

(1) Petrus abbas de Antealtaria iuratus dixit: Ego eram monachus in monasterio de Antealtaria et sedebam in concilio, quod celebratum fuit apud Valledolit in presentia domini Iacinti cardinalis ecclesie Romane tunc legati. Et surrexit magister Petrus Gunzalvi ecclesie Compostellane canonicus et Petrus prior de Sar, et audivi quod magister Petrus Gunzalvi proposuit tres articulos et dixit, quod dominus Iohannes Bracharensis archiepiscopus promisit in presentia domini cardinalis apud Tudam domino Pelagio Compostellano archiepiscopo se responsurum in concilio apud Valledolit super tribus episcopatibus, scilicet Colimbriensi, Visensi, Lamecensi, et de possessionibus sancti Victoris et sancti Fructuosi et super hereditatibus, quas petit in Brachara, — interrogatus si sciret quas hereditates, dixit se nescire, — et de oblationibus que dicuntur vota, que retinebant ei. Tunc surrexit prior Bracharensis et dixit, quod archiepiscopus suus infirmabatur et non poterat venire ad concilium. Tunc surrexit prior de Sar et dixit, quod dominus Bracharensis erat ibi prope et nolebat venire et veniebant ad eum et loquebantur cum eo. Tunc surrexit dominus Menendus Lamecensis episcopus et dixit, quod non erat verum. Tunc respondit magister Petrus et dixit episcopo Lamecensi: »Tu dimittis capud tuum et vadis ad alienum.« Tunc respondit ei episcopus: »Si magister Petrus poterit facere suis medicinis vel incantationibus, quod non potuit facere Ypocras et Galienus, scilicet quod auferat capud uni et ponat alteri — tale est quod dicit magister Petrus.« Ad hec fuit motus et iratus dominus cardinalis, absolvit predictos tres episcopos ab obedientia Bracharensis ecclesie et commendavit eos Compostellano archiepiscopo. Interrogatus, qua die concilii mota fuit questio, dixit secunda, et eadem die episcopi absoluti. Interrogatus, si vidisset ibi predictos tres episcopos vel eorum nuntios, dixit se non vidisse nisi Lamecensem, et si alios vidit, non cognovit. Interrogatus de loco, in quo celebratum fuit concilium, dixit quod in ecclesia sancte Marie in fundo ecclesie cum imperatore et archiepiscopis sedente cardinale, et concilium erat inter ipsos et altare. Interrogatus de anno, mense et die, dixit se nescire.

(2) Petrus abbas sancti Martini iuratus dixit, quod, cum dominus cardinalis Iacintus ecclesie Romane tunc legatus Hispaniarum esset apud Auriam in domo episcopi domini Martini eiusdem ecclesie in quadam cortecella, dominus Pelagius Compostellanus archiepiscopus conquestus fuit domino legato de domino Iohanne Bracharensi archiepiscopo de ecclesiis sancti Fructuosi et sancti Victoris cum suis hereditatibus et de suis episcopis, scilicet Colimbriensi, Visensi et Lamecensi, et dominus cardinalis dixit illi: »Mitte duos de clericis tuis mecum ad dominum Bracharensem, et cum venero Bracharam, moveant verbum in presentia ipsius archiepiscopi, et ponam cum eo, qualiter fiat.« Et dominus archiepiscopus misit cum eo duos clericos. Interrogatus, qui essent illi clerici, respondit se dubitare, verumtamen credit, quod essent Didacus Ordonii et Didacus Nuniz. Et dicit quod se presente nihil actum est usque ad concilium de Valledolit. In concilio autem se presente et vidente surrexit magister Petrus Gunzalvi et dominus Petrus prior Sarensis. Movit magister Petrus questionem domino cardinali adversus Bracharensem archiepiscopum de ecclesiis sancti Victoris et sancti Fructuosi cum suis hereditatibus et de suis episcopis, qui debebant stare cum ecclesia sancti Iacobi, scilicet Colimbriensi, Visensi et Lamecensi, quorum Visensis et Lamecensis presentes erant, Colimbriensis absens. Ad hec Petrus Martini Bracharensis prior surrexit et vocavit episcopum Lamecensem, ut surgeret secum. Idem prior dixit, quod erat nuntius domini Bracharensis, qui infirmabatur et venire non

poterat. Magister Petrus dixit ei, quod mentiebatur, et dicebat dominum archiepiscopum sanum esse et prope et designabat locum, ubi eum esse dicebat. Et dicit altercationes super his multas fuisse. Tandem dominus cardinalis absolvit illos duos episcopos, qui presentes erant, ab obedientia Bracharensis ecclesie, ut<sup>a</sup> starent cum ecclesia sancti Iacobi, et dixit tertio se missurum litteras. Adiecit etiam, quod dominus imperator misit abbatem de Cellanova ad dominum cardinalem, dicens quod valde conquerebatur de eo, cum ipse misisset pro eo, et nisi vellet, non posset venire in Ispaniam, quod non faciebat iustitiam Compostellanensi ecclesie de Bracharensi. Adiecit etiam, quod dominus cardinalis interdixit Bracharensis archiepiscopum, si autem pro hoc negotio vel pro alio, nescit. Interrogatus, quot diebus duraverit concilium, dixit per tres. Interrogatus, qua die concilii iamdicti episcopi absoluti fuissent a Bracharensi, dicit tertia die, eadem die Bracharensis interdictus. Interrogatus, si ante conquestionem domini imperatoris vel post predicti episcopi fuerint absoluti et archiepiscopus interdictus, dixit se nescire. Interrogatus de loco et sessione, dixit idem quod et primus. De anno, mense et die interrogatus dixit se nescire.

(3) Petrus abbas de Podio iuratus dixit, quod in presentia cardinalis apud Tudam vidit placitum inter Pelagium archiepiscopum Compostellanum et Iohannem Bracharensis archiepiscopum super episcopatibus Lamecensi, Visensi et Colimbriensi et super ecclesiis sancti Victoris et sancti Fructuosi. Et in concilio apud Valledolit sub eodem cardinali Iacinto magister Petrus Gunzalvi tenebat vocem ecclesie beati Iacobi super eisdem questionibus, et ex parte Bracharensis ecclesie Petrus Martini eiusdem ecclesie prior et cum eo Menendus Lamecensis episcopus. In primo die et secundo die tenuerunt placitum, in tertio autem die non interfuit, quia infirmabatur. Interrogatus de loco et sessione, anno, mense et die, idem dixit quod et alii.

(4) Petrus abbas de sancto Petro de Cella iuratus dixit se vidisse apud Tudam in presentia eiusdem cardinalis archiepiscopos Pelagium Compostellanum et Iohannem Bracharensis contendentes super duabus ecclesiis, una sancti Fructuosi et alia cuius nominis non recordatur, et super medietate civitatis Brachare et super episcopatibus Visensi, Lamecensi et Colimbriensi, et hec contentio duravit per VI dies apud Tudam. Et dominus cardinalis recepit kartas ab utraque parte et mandavit eis, ut irent ad concilium apud Valledolit. Interrogatus de concilio dixit se non interfuisse. Interrogatus de anno, mense et die, quo Tude convenerint, dixit se nescire.

(5) Petrus prior de Antealtaria iuratus dixit se interfuisse concilio apud Valledolit in presentia domini cardinalis et vidisse magistrum Petrum Gunzalvi stantem pro ecclesia sancti Iacobi contra Bracharensis, qui proposuit III articulos, videlicet: de III episcopatibus, Lamecensi, Visensi, Colimbriensi, qui iam tunc extabant, et de Egitaniensi, qui non extabat; secundus erat de possessionibus sancti Fructuosi et sancti Victoris et de sua directura, quam habebat Brachare; tercius de votis. Et tenuit rancuram de archiepiscopo, qui non venerat ad concilium. Ex alia parte surrexit Petrus Martiniz prior Bracharensis et dixit, quod archiepiscopus suus detentus infirmitate non venit, et ipse venerat pro eo. Ad hec respondit P. prior Sarensis et dixit, quod archiepiscopus male fecerat, quia non venerat, sicut promiserat, et quia sanus erat. Ad hec respondit Melendus Lamecensis episcopus dicens se paratum esse respondere cum priore pro archiepiscopo suo. Tunc respondit magister Petrus et dixit, quod predictus episcopus non posset respondere, cum esset sine capite. Econtra episcopus dixit, quod magister Petrus non posset facere per

omnia argumenta sua, quod non potuit facere Ypocras et Galienus, scilicet ut auferret capud uni homini et imponeret alii, ut loqueretur. Ad hec adiecit, quod imperator tunc motus fuit et iratus contra cardinalem, quod non fecerat Bracharenssem venire. Tunc dominus cardinalis absolvit predictos III episcopos ab obedientia Bracarensis ecclesie et mandavit eis, ut obedirent ecclesie Compostellane, quorum Lamecensis et Visensis presentes erant tantum. Interrogatus, qua die concilii questio mota fuerat et episcopi absoluti, dixit se nescire, credit tamen secunda. Interrogatus de loco dixit, quod in ecclesia sancte Marie et in pulpito, quod erat factum in media ecclesia, sedebat cardinalis cum imperatore et archiepiscopis et episcopis suis. Interrogatus de anno, mense et die dixit se nescire.

(6) Bernardus archidiaconus iuratus dixit se presentem fuisse in concilio apud Valledolit in presentia domini Iacinti presente domino imperatore et filio eius rege Sancio et ecclesia plena episcopis et abbatibus et aliis clericis. Et dicit, quod ibi surrexit magister Petrus Gunzalvi pro ecclesia Compostellana adversus Bracarenssem et movit querimoniam de tribus episcopatibus, scilicet Visensi, Colimbriensi et Lamecensi, et de hereditatibus, quas repetit ecclesia Compostellana in Bracara, id est sancto Victore et sancto Fructuoso cum appendiciis suis, et de votis. Et surgentes multi clerici pro Bracarensi ecclesia cum episcopo Lamecensi et locuti sunt contra eum, et diu disceptatum est hinc inde. Interrogatus de loco et sessione dixit, quod fuit in ecclesia sancte Marie, scilicet in maiori ecclesia, sedente cardinale et iuxta eum Pelaio Compostellano archiepiscopo et imperatore cum filio suo rege Sancio et aliquibus militibus in eodem pulpito. Interrogatus de anno, mense et die, et qua die concilii querela fuit mota, dixit se nescire.

(7) Iohannes cardinalis Compostellanus iuratus dixit se interfuisse concilio Valledolit in presentia domini Iacinti cardinalis in ecclesia maiori sancte Marie et vidit duos clericos Bracarenses, quos audivit ita nominari: Pelaium Cabritam et Petrum Martini, et Menendum episcopum Lamecensem, et placitabantur cum magistro Petro Gunzalvi et cum iudice domino Didaco de duabus ecclesiis Bracare, sancti Victoris et sancti Fructuosi, cum possessionibus suis et medietate Bracare et de episcopatibus Visensi, Lamecensi et Colimbriensi. Interrogatus, qua die concilii questio fuit tractata, dixit quod prima et secunda die. Interrogatus de loco sessionis dixit in corpore ecclesie inferius. Interrogatus de anno et die concilii dixit se nescire, de mense dixit ianuario. Interrogatus, qualiter sederent in concilio, dixit se nescire, preter quod imperator sedebat iuxta cardinalem. Dixit etiam quod Toletanus et Compostellanus archiepiscopi erant ibi.

(8) Iohannes Gotofrez canonicus Compostellane ecclesie iuratus dixit se presentem fuisse apud Tudam in presentia domini Iacinti cardinalis in solario episcopi Tudensis, et surrexit dominus Pelaius Compostellanus archiepiscopus et misit querelam in presentia cardinalis de archiepiscopo Bracarensi et mandavit magistro Petro Gunzalvi et iudici domino Didaco, ut surgerent pro ecclesia Compostellana, et petebent ecclesias sancti Fructuosi et sancti Victoris cum medietate Bracare, et petebant ecclesiam Colimbriensem, Lamecensem et Visensem pro suffraganeis. Archiepiscopus Bracarensis cum Petro Martini et P. Cabrita defendebat se et aliquando dicebat, quod tenebat ecclesias sancti Fructuosi et sancti Victoris cum medietate Bracare pro pecunia et pro capite sancti Iacobi, et aliquando dicebat, quod iam tenuerat eas per centum annos et volebat eas retinere sibi. Et super hoc disceptatum fuit per VI dies. Tunc dominus cardinalis mandavit eis, ut irent ad concilium Valledolit et quisque defferret privilegia et instrumenta sua. Interrogatus de anno, mense et die, quando hec acta sunt, dixit se nescire.

(9) Petrus prepositus Compostellane ecclesie iuratus dixit se presentem fuisse apud Auriam in domo episcopi Auriensis, quando ecclesia Compostellana cum domino Pelaio

archiepiscopo suo conquesta fuit domino Iacinto cardinali adversus ecclesiam Bracarensem super tribus episcopatibus Colimbriensi, Visensi, Lamecensi et super hereditatibus ecclesie beati Iacobi, videlicet ecclesiis sancti Victoris et sancti Fructuosi cum pertinentiis suis, et de votis et super medietate civitatis Bracare. Et tunc dati sunt domino cardinali duo de canonicis Compostellane ecclesie, Didacus Ordonii et Iohannes Arie, ut credit, qui hanc questionem Bracare proponerent coram domino cardinali, sicut et fecerunt. Tunc dominus cardinalis prefixit diem utrique parti, quo se cum instrumentis et allegationibus suis apud Tudam coram se presentarent, et factum est ita. Ibiq[ue] disceptatum fuit diu super idem questionibus, Compostellanis dicentibus et asserentibus, quod supranominati III episcopatus erant de provintia Emeritensi et sic de archiepiscopatu Compostellano per ecclesiam Emeritensem. Super hoc multas inducebant allegationes et privilegia Romanorum pontificum. Pro ecclesia sancti Iacobi stabant magister Petrus Gunzalvi et Didacus Episcopus, qui<sup>a</sup> postea fuit iudex, et interdum dominus Martinus Ovetensis, qui<sup>a</sup> postea fuit archiepiscopus. Pro Bracarensi stabant dominus Iohannes Bracarensis archiepiscopus et Petrus Martini prior et Pelaius Cabrita dicentes episcopatus illos provintie Galletie esse et rationes super hoc multas proferentes. De hereditatibus dicebant Compostellani, quod multo et longo tempore ecclesia Compostellana et dominus Didacus Compostellanus archiepiscopus, tum per se ipsum tum per vicarios suos canonicos, eas in pace et quiete possederat. Econtra Bracarenses dicebant predictas hereditates et possessiones suas esse debere et diu in pace se eas possedissee. Interdum etiam dicebant: »Dabimus vobis quod de vestro habemus, si restitueritis nobis capud beati Iacobi et capellam et arcas, que a nobis habuistis, et corpora sancti Fructuosi et sancte Susanne«, multa hinc inde replicantes. Tunc dominus cardinalis mandavit sub premptorio omni occasione remota, ut concilio interessent apud Vallemolit pro lite ista terminanda et diffinienda. Ventum est ad concilium, ubi se presentavit dominus Compostellanus cum maxima parte capituli sui. Dominus Bracarensis non venit ad concilium, sed misit dominum Menendum Lamecensem episcopum et priorem Petrum Martini et Pelaium Cabritam et quosdam alios. Tunc conquestus est dominus Pelagius Compostellanus archiepiscopus cum canonicis suis, scilicet magistro Petro Gunzalvi et P. priore Sarensi, qui postea fuit archiepiscopus, et Memerco<sup>b</sup> Didaco Episcopo, et proposuit illas questiones sicut et Tude adversus Bracarensem. Econtra Bracarenses idem respondebant quod apud Tudam et insuper allegabant archiepiscopum suum infirmitate detineri et ideo ad concilium non venisse. Compostellani vero dicebant eum sanum esse. Tunc dominus imperator commotus aliquantulum dixit domino cardinali: »Mihi displicet multum, quod ego sum dehonorus in concilio isto, quando ecclesia Compostellana non potest habere ius suum«. Tunc dixit dominus cardinalis, quod expectarent Bracarensem per diem illam et aliam. Et cum dominus Bracarensis non veniret, in ipso concilio absolvit illos tres episcopos ab obedientia Bracarensis et suspendit ipsum Bracarensem, qui non venerat responsurus, et eos adiudicavit Compostellane ecclesie. Interrogatus, si illi tres episcopi interessent, respondit Lamecensem interfuisse, Colimbriensem minime, de tercio nescit. Interrogatus de anno et die dixit: nescio, de mense: ianuario, per quod dies duravit concilium, dixit: tres. Interrogatus de loco dixit, quod in ecclesia maiori sancte Marie. De sessione cardinalis dixit, quod in pulpito, quod ei fecerant in fine ecclesie, sedebat cum archiepiscopis Toletano et Compostellano et imperatore et duobus filiis suis et aliis baronibus [...] paucis. Interrogatus, qua die concilii fuerint episcopi absoluti, dixit se nescire, credit tamen quod tercia.

<sup>a</sup> quod. <sup>b</sup> korrigiert, Lesung unsicher.

(10) Sesnandus presbiter Compostellane ecclesie canonicus iuratus dixit, quod presens fuit, ubi in presentia domini cardinalis apud Tudam in claustro veteri canonicorum die una et postea duobus diebus in solario episcopi Tudensis Iohannes Bracarensis archiepiscopus et Pelaius Compostellanus erant, et pars nostra petebat a Bracarensibus ecclesias sancti Victoris et sancti Fructuosi et medietatem ville Bracare et tres episcopatus Visensem, Lamecensem et Colimbriensem<sup>a</sup>. Pro parte Compostellane ecclesie stabant decanus P. Pardus, iudex Didacus, magister P. Gundizalvi, P. prepositus Compostellane ecclesie. De his qui stabant pro ecclesia Bracarensi, non cognovit nisi Pelagium<sup>b</sup> Cabritam. Qualiter autem Bracarenses se defendebant, ignorat. Dicit tamen, quod ex utraque parte producebant cartas. Dicit etiam, quod tribus diebus tantum interfuit concilio, quamvis pluribus fuisset pertractatum. Preterea dixit, quod interfuit concilio apud Valledolit in presentia domini cardinalis, quando magister Petrus Gunzalvi ex parte nostra et iudex dominus Didacus petebant predictos episcopatus et predictas ecclesias a Bracharensi. Archiepiscopus Bracharensis non erat ibi, sed Menendus Lamecensis episcopus partes eius defendebat cum aliis, quos non cognovit. Requisitus, qualiter dominus Lamecensis et qui cum eo erant defendebant Bracarensensem, dixit se nescire, verumtamen dixit, quod bene defendebant eum verbis. Dixit etiam se audisse, quando cardinalis absolvit illos duos episcopos Visensem et Lamecensem ab obedientia Bracarensis ecclesie et eos adiudicavit Compostelle. Interrogatus de Visensi, si presens esset, dixit se nescire, Colimbriensem abesse. Interrogatus de loco concilii dixit in ecclesia canonicorum. Interrogatus, ubi sederit cardinalis, dixit in fundo ecclesie in solio, quod sibi fecerant, et archiepiscopi Compostellanus et Toletanus sedebant cum eo, unus ex una parte, alter ex altera, et erat ibi imperator cum filio suo rege Sancio et quidam alii, quos non cognovit. Interrogatus, quot diebus duraverit concilium, dixit se nescire, certus tamen est, quod omnibus diebus interfuit. Interrogatus, qua die concilii episcopi predicti fuerint absoluti, dixit se nescire. Interrogatus de anno, mense et die concilii dixit se nescire, scit tamen quod, quando intravit Valledoliti, erat dies septuagesime<sup>1</sup>.

---

<sup>a</sup> Colimbriam, *auf Rasur.*    <sup>b</sup> Pelagius.

<sup>1</sup> (1155) *Januar 23.*

